✠

SENTENTIA, VOTA, ET MOTIVA,

IN PROCESSV PROCVRATORIS FISCALIS, VNIVERSITATIS AVGVSTÆ:

CONTRA

DD. Dominicum Perez; Ioannem Franciscum Philip; Petrum Hieronymum Parras; Magistrum Ludovicum Abadia; & Iosephum Lucam Casalete, publicos Moderatores, in Almo, & Cæsaraugustano Lycæo.

DD. Augustinum Clemente; Ioannem Baquero; & Hieronymum Andres, publicos Vniversitatis Antagonistas.

SVPER CRIMINALI.

PROMVLGATA à per Illustri Vniversitatis Rectore D.D.D. Michaele Marta & Mendoza, Archidiacono, & Canonico Cathedralis Ecclesiæ Tirasonen. & tam in eius Diœcesi, & Hierosolymitana Religione Conservatore, & Synodale Iudice; quam in eiusdem Regnis Aragoniæ, Castellæ, & Navarræ (Sede Vacanti) non solum Officiali, & Vicario Generali, sed Archidiaconatus Calataiubij Visitatore. Iam pridem in Sertoriano, & Saldubensi Lycæo, Digesti veteris, & Primariæ Legum Cathedræ Moderatore, & nunc ab Vniversitate communi Doctorum voto, & Imperialis Augustæ Civitatis desiderio, à Catholica Domini no-

stri

stri Regis Maiestate in sequentem annum prorrogato Rectore.

Nec non selectis, & electis ad animi planiorem, & pleniorem consultationem (non sine Astreæ, & Austriæ Serenissimi Principis affatibus) Magnificis Catholicæ Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarijs, in quorum præmaturo iudicio: Iurisprudentiæ hæreditas ex asse ponderata conspicitur, atque decernitur D. D. D. Ioseph de Leyza & Erasso, quondam Imperialium, Institutionum, & Vespertinæ Pontificum Decretorum Cathedrarum, in semper Augusto Musæo, subtilissimo Moderatore; mox in horrissono militum, & Mavortis clangore generali Auditore validissimo: Postmodum in Augustissimo Regni Prætorio Illustrissimi Nomophilacis, & Aragonum Iustitiæ, Locumtenenti vigilantissimo: Deinde Patrimonialis Ærarij, & Regiæ Iurisdictionis Vindice, & Advocato Fiscali, & nunc Generalis totius Gubernationis Ordinario Assessore. Et Gregorio Xulve, iam pridem Baiuli Generalis Consiliario, & nunc, & si ad maiora promeritis promovendo, Officialium totius Regni vigilantissimo Quæsitore, & Generali Iudice.

IESV CHRISTI NOMINE INVOCATO.

NOS D. Don Michael Marta, & Mendoza, Rector, & Procancellarius Almæ Vniversitatis Augustæ, Attent. Cont. pronuntiamus, & absolvimus Doctorem Hieronymum Andres, à contentis in petitione criminali, contra eum pro parte Fisci Vniversitatis oblata, neutrum partium, in expensis condemnando: Et cum his declaramus, Doctores Dominicum Perez, Petrum Hieronyum Parras Gil de Bernabe, Patrem Magistrum Ludovicum Abadia illicitos fuisse, & esse detentores, & possessores, trium respectivè Philosophiæ Cathedrarum, promotosque, & assumptos ad earum lectaram, pactionibus, & conventionibus expressè ab Statutis Vniversitatis damnatis, & interdictis, eosdemque, & alterum eorum, à lectura, iure, & actione dictarum Cathedrarum, privamus, & à munere legendi, & publicè docendi, removemus, & abdicamus:

mus: & à simili eosdem declaremus inhabiles, & incapaces, ad reasumendum certamen, & concursum faciendum, ad nullam Philosophiæ Cathedram, tam ad eas (de iure pariter, & de facto vacantes) quam per tempus, duorum annorum, immediatè sequentium vacaturas, & à die decima octava mensis Aprilis, anni labentis computandum, in cuius spacij intercapedine, tres vacationes, aut vices congressus, vel certamen litterarium ineundi comprehendantur.

Et cum his, Doctorem Augustinum Clemente, & Doctore Ioannem Baquero à munere Collationandi, aut relegendi Philosophiæ lectiones cum nobis Academiæ Scholasticis, & Candidatis (Vulgo de Repasantes de Aula) per idem biennium respectivè suspendimus, & inhabiles declaramus.

Et à simili Doctorem Iosephum Lucam Casalete, Scientiæ Apollineæ professorem, in quinquaginta aureis, aut libris monetæ Iacensis multamus quos omnes in expensis taxandis, & arbitrio nostro distribuẽdis, & respectivè solvendis condemnamus: Respectu verò Doctoris Ioannis Francisci Philip, qui litte Criminali durante (iusta persolvens) diem clausit extremum, non fore procedendum ad vlteriora decernentes, donec causa sit reasumpta, vel hæredes sint repositi, in locum deficientis personæ, vt legitimo tramite finis controversijs, vndiquè, motis imponatur neutram partium in expensis (demptis prædictis taxandis) condemnando. Cætera supplicata locum non habere, eo nõ solum præmisso, vel alio meliore modo, pro vt de iure, styllo, vel alias, possimus, & debeamus Iudicantes. *EX EO*, & alias provt in sententia; quia constat, Statutis Almæ Vniversitatis Augustæ, privationis pæna coherceri Magistros, & Doctores omnes, qui ad honores scholæ, & præmia Cathedrarum adspirant, si venalitijs suffragijs, corruptis Scholasticorum Iudicijs, pravis, & damnatis pactionibus, optari muneris dignitatem consequuntur, aut conventiones aliquas, quæ in securitatem Cathedrarum tendant fœderibus etiam implicitis ineant, & hoc fine indulugentiæ spe, aut criminis aliqua abolitione futura, sub titulo vicesimo quinto: *DE LAS CONDICIONES QVE SE REQVIEREN PARA QVE PVEDAN VOTAR LOS ESTVDIANTES*, cavetur expressim: *O por via de deposito, ò por qualquiere otro pacto, convencional, ò confidencional, por si, ò por interpuestas personas, hiziere concierto para assegurar la Catedra, ò promessas implicitas, ò explicitas para si saliere con ella; quede privado de todos los derechos, y acciones que podia tener en la Cathedra, sin que se pueda dispensar.* Quibus adstipulantur quasi duobus capitibus commixtis alia eiusdem tituli verba: §. *Si estando vacante alguna Cathedra, no huviere mas de vn Opositor*, ibi: *Se le dè la possession en aviendo leido, si es nuevo: sin necessidad de leer, si es antiguo posehedor, con tal que juren, QVE NI DIRECTA, NI INDIRECTAMENTE HA ESTORVADO, QVE OTROS LE HIZIESSEN OPOSICION.*

Cum ergo de anno 1670. in mense Aprilis ea tempestate duæ Philosophiæ Cathedræ vacarent, pluresque Doctores, & ex candidatis Theologiæ primores Antigonistæ in Circũ prosilirent, peractis iam litterarũ ex-

excubijs, & pulueris Olympici sudoribus exactis: cum iam censendum de victore foret, pactionibus ante-Lucanis, colludentibus adversarijs, inter se luctores præmia diviserunt, & Scholasticorum elusa censura, repente omnes à lite defecerunt, & gloriam discriminis, criminosis fœderibus inquinarunt: soli ex omnibus Doctor Dominicus Perez; & Pater Ludovicus Abadia (contrarium forsan sentientibus Munerarijs) misserè fugatis, aut minus decorosè adversarijs repulsis, sine suffragijs Academiæ, ad vnam, & alteram Cathredam securissimè promoti fuere, licet in ambabus vicissim, cum reliquis, dubio Martis eventu, contendissent. Hæc omnia sponte fatetur defensionis loco in iudicio, Magister Abadia, seque in vim pactorum (& si in angustia, sine delectu, & libertatis arbitrio) & conventionum, instrumentis quoque, mille aureorum pœnam spondentibus, adiectis, se Philosophiæ nuncupat professorem. Doctor verò Dominicus Perez, eiusdem fortunæ comes, instrumentis convictus ita, vt in eisdem censendis, & declarandis possessoribus illicitis, nec dubitationi locus, nec aliquod insederit Religioni iudicantis arbitrium.

Respectu verò D. Petri Hyeronimi Parras, aliqua potuit ex verbis statuti suboriri dificultas, scilicet quod ille de anno 1670. Cathedræ Philosophiæ pacificus erat possessor, lecturam quæ triennij, per annum integrè expleverat, nec tunc potuit securitatem ambire, nec Opositoris nomen perferre, aut pactis ab Statuto improbatis irretiri. Sed hoc facilimè repulsam habuit ex pactis: ille enim futuræ vacationis conscius, & imminentis periculi, forsam indubius, sagacior propiæ securitati consuluit, & providentior meditatus firmitatem, plurima pacta excogitavit ad hûc scopum, & finem tendentia, & perpetuæ incolumitatis ambitum collimantia. Nihil non est in concordijs, quod de ea Cathedra, tanquam de præsenti vacanti (licet transacto biennio vacatura) providentia non curet. In primis, Doctorem Dominicum Perez suum quondam Philosophiæ Præceptorem, quem forsan doctrinæ Suaristarum Asseclam reverenter agnovit; lecturum publicè, & edocturum doctrinam, & opiniones Divi Thomæ, dum Cathedras Philosophiæ Moderaretur, coegit, sub pœnâ mille aureorum exigendorum (si secus ageret) immortalium examinatorum delecto iudicio: Attollimus eximiè doctrinam sacri vatis, & damus libenter pœnè Divinam, & Angelicam, præ cunctis alijs nobiliorem, insignioremvè; quod hæc sponte eligatur à Magistris, & Doctoribus; vel quod legum conditores Cathedram fundent peculiarem doctrinæ, (provt Cæsaraugustæ in sacra Theologia, erecta floret) summè laudabile: sed quod inter privatos Doctores, contra mentis ductum huic, vel illi opinioni assentiendum, vel dissentiendum, pœnæ metu voluntas præmatur, & captivetur intellectus, severè punibile. Opinio mentis, quasi Religioni, & Fidei cognata suadenda, non imperanda mortalibus: nemo cogitur, vt credat invitus, quia amoris actus, & odij generantur ab animo, non eliciuntur imperio: Præterea pactio hæc, non gloriam sacri Doctores exambit, sed propiæ ambitiones commodum, sitienter anhelat: sic fiet vt, Vniversa Schola dedititia Thomistis, Antesignanum Parras cumulet spolijs omnium Cathedrarum, devinctis suffragijs: & præmia Vniver-

versitatis iugiter, successione (quasi) hæreditaria, in opinione cognatos, & intellectus hæredes deriventur.

Deinde Patrem Abadia insigne Academiæ Præceptoré, triennio lecturæ completo, à Philosophiæ Cathedris in perpetuum relegavit, & liberali comercio pænitus interdixit. Similiter decrevit, quod triennio durante (quo certum erat hanc Doctoris Parras Cathedram vacaturam) Philosophiæ non possit inire congressus, quod amicis, fortuna, & facultatibus, Magister Abadia, Doctori Parras, opem esset iturus, suumque assertorem semperque proclamasset, & vindicem. Rursus eius fidei committebatur, vt comissum fuit, arcere futurosquoqueOppositores, præcipuè si Doctor Andres, & Pacheco insurgerent. Præterea Doctorem Andres relegentem, in aula Doctoris Perez adiecit ad sui ipsius nutum amovibilem, si minus ille confidenter se gereret; aut Parras futuri iuvaminis, in suspicionem incideret, ne si postea contendentē agnosceret, tot allumnorum auxilijs commmunitum sentiret. Denique Bacchalaureus Pacheco, in aula Magistri Abadia, vel alius designandus, ad commodum, & vtilitatem Doctoris Parras, aut designantur, vel in excogitatis cautelis, huic muneri præficiuntur, & concinantur: quibus omnibus coadunatis, hac in Cathedræ postea vacanti, ex pactionibus retro initis, certum est Doctorem Parras possessorem extitisse, ergo æquum est pœnis Statuti subiacere, cum ipse appareat, ex tunc pro nunc, sese sponte huic legi subdidisse.

Nec nova, aut acrior dicenda hæc est iudicantis censura, cum hoc ipsum declaratum fuerit ab Integerrimis Claustri asidentibus Consiliarijs (vno tantum reclamante) anno proximè elapso, in huius Cathedræ congressu, & possessionis adeptæ limine, cum enim esset obiectus contra Parras inhabilitatis defectus, à concurrentibus: Civili Arresto publicatus est incapax; cecidisseque à legitimi oppositoris actione quaque declaratus, & iure. Licet postea, per viam Iurisfirmæ Illustrissimi Domini Iustitiæ Aragonum, declarationis effectus reservatus fuerit, huic criminali, & magis opportuno iudicio: tuncque possessio (magis extorta quam adepta per Parras) revocabiliter, & dependenter à futuro eventu cavetur expressè à Claustro conferente, esse elargitam.

Viriliter obiciunt, criminali lite pulsati, quod Statuti verba, solum pacta inita cũ auditoribus comprehendunt, non verò alia, quæ Oppositores inter se comiscent, includant. Sed hoc manifestè convinci videtur, quia verba legis impersonalia sunt, in rem scripta, non paciscentibus, sed pactis ipsis adiecta; & sic quæcumque gesta, tractata, & comuenta, quibus exitus Cathedræ reddatur indubius, & bellitationis anceps certioretur eventus, ex mente, & verbis censetur interdicta, & sicut activè respectu Oppositorum ad Scholasticos, extraneas personas includunt, ibi: *Sive per se, vel interpositas personas*, non nominatas, sic passivè respectu Oppositorum inter se, & vnius cum alio, iam cognito, & nominato, pacta, & conventiones reprobant, & à libertate concursus contra liberam, & genericam statutorum observationem, & dispositionem (in principio tituli præcedentis vigesimi quarti) arcent, & eliminant. Immò si mens, & finis Statuti attendatur, magis exossa, & conventa pacta cum

Oppo-

Oppoſitoribus improbantur, quam verbo tenus promiſſa, & ſtipulata, ab inconſtantibus Scholaſticis, ſæpè ſimulantibus affectum; quandoque ad novi ſtipulatoris verba, antiquata fide, promiſſa variantibus: deponens, vel ſpondens pecuniam, ſex, vel octo auditores corrumpit, adhuc per accidens ſpectaturus victoriam. Sed ſpōſor hoſtis, vel ſtipulator certantis, occaſionem diſcriminis, & contingentiæ corrumpit, victoriam ſine trepidatione reportat, & Legis mentem ſine hæſitatione deludit: quæ enim certior poteſt eſſe victoria? Auguratior triumphus? Quam qui in pace firmatur, hoſte, & inimico recluſis? Vnde, ſi hæc ab Statuto damnantur, illa verba: *Pacta implicita, vel explicita, ſive per ſe, vel per alium*, cum alijs convenire non poſsint; inania, & ſine effectu forent, ſubiecta ſemper cavillationi, & ludibrio.

Nec obſtat, quod re integra, ſpontè partes inſtrumenta, & obligationes cancellarunt, & quaſi dabili loco pœnitentiæ, reſilire à conventis decreverunt. Quia reſpondetur, quod ea de Patre Magiſtro Abadia, & Doctore Dominico Perez, proponi non poſſunt; cum die ipſa pactorum, mediæ noctis conticinio machinatorum, ſuas reſpectivè Cathedras adepti fuerint: nec etiam Doctoris Parras, reſpectu iuris aliqua probabilitate fundantur; nam etiam quoad ipſum plenè ſuum effectum cernuntur ſortita. Doctor enim Andres, ante, & poſtquam à colligatione reſilirent, publicè pulſus ab Aula, non ſolum vi, ſed factis Doctoris Perez, imperante quoque Doctore Parras, virtute ſuæ reſervationis adiunctæ: acciditq; hoc nolentibus, ſicut & dolentibus Scholaſticis, dum à munere relegendi, & conferendi Magiſtri lecturas, quo pro roſtris, & pluribus annis vacarat, in Parras honorem, commoditatem, & fructum minus decoroſe proſcriptus: fœderis id ſummum, & princeps concordiæ caput, ne eius ſucco doctrinæ, lactantis adoleſcentibus, Magiſtri affectus, ſibi conciliaret, robuſtiorque Antigoniſta conſurgeret, proſperè ceſſerunt, excogitata, & inventa, provt ſtata die certaminis, de Doctore Andres, Parras triumphavit, tanquam de inermi bellatore, eluſis, vel abdicatis pluſquam centum & quinquaginta alumnorum ſubſidijs: ergo ex die pactorum, nihil aliud Parras curavit, niſi conſervationem Cathedræ, & vt immobilem ſibi Philoſophiæ ſedem conſtitueret.

Rurſus hic conſpirant in legem, tria inſtrumenta guarentigia obligationum pœnalium, vnum quingentarum librarum, in favorem Doctoris Frauciſci Philip, in quo obligatus Doctor Lucas Caſalate, pro relectoris munere indicendo Doctori Andres, & ſtipulatione pœnali conſervando; hocque non ſolum durat, ſed lis ingens coram Nobis pendet, ſuper cancellatione, creditoris facto præocupante iudicium: Alia duo inſtrumenta, mille librarum, vel aureorum, in favorem Doctoris Parras, Clemente, & Baquerò: quæ etiam ſi cancellata à creditoribus perhibeantur, at tamen cancellationes illæ ſolemnes, privata pacta in ſcriptura minus ſolemni à partibus ſeorſim firmata, & ſubſcripta, non ſolvunt, vel extinguunt; potuit obligatio pœnalis accepto ferri, vel acceptilatione creditoris diſſolvi, ſed pacta relata, & adimplenda, reſoluta obligatione pœnali, & acceſſoria; virtute ſua principali ſubſiſtere: liquet

etiam

etiam Doctorem Parras, non aliter potuisse promissa in sui favorem dissolvere, nisi Doctor Perez perpetuum relegentem, Doctorem Andres in aula stabiliret, & sic amotio, fuit executio pactorum: conservatio nollente, & reluctante Parras, esset vera cancellatio, & obligationis adversæ, non tantum labiis, & verbis, sed rebus, & factis, propria solutio, & extinctio. Ex gestis autem in finem contrarium, antè, & post cancellationem, firmari magis pacta, quam infirmari dicuntur.

Deinde multamus quinquaginta aureis Doctorum Lucam Iosephum Casalete, strenuum Medicinæ professorum, benigno forsam cognitoris arbitrio, quia fideiussor est duobus enarratis instrumentis Comandæ, & verisimile est, cooeuntes pacta, & fœdera ab Statutis damnata, inutilia, & inania reputasse, nisi tanto expromissore firma, & exequibilia credidissent.

Cæteri duo Doctor Augustinus Clemente, & Doctor Ioannes Baquero, ab officio, & muneribus relectorum, biennio durante removentur, aut suspenduntur, quia subscripsi manu propia, hæc pacta in sui vtilitatem confirmarunt, & in ambobus instrumentis mille aureorum, creditores sunt, & stipulatores spondentium; & de Cathedris incertis, & vaccaturis, confœderati taxantur; ideòque solum ab exercitio relegendi, & prævia huiusmodi securitate, repelluntur.

Absolvimus tandem (etsi sententiæ ordine inverso) Doctorem Andres à contentis in petitione Fiscali, quia licet in sui favorem, pactum relegendi in Aula Doctoris Perez exprimatur in actis, at tamen de eius scientia, solicitudine, aut cura, nec testibus, nec scripturis, aut aliqua coniectura probabili convincitur. Potuit alumnus, vel amicus, gratitudinis ergo vetustum, & emeritum conservare Lectorem, & inter tot capita damnata aliquid candoris adiicere.

Nec supra decisis, visum fuit exemplum obstare, allegatum à Doctore Suelves in casu Doctoris Primarij, Dominici Cebrian, cum Magistro Ioanne Perez de Munebrega, in alterius Cathedræ Philosophiæ conflictu ibi enim solum a Claustro Vniversitatis resolutum, possessorem, nullitatis cognitione pendenti, manutenendum fore, in summarissimo iudicio, quod huic plenario criminaliter intentato, non convenie, nec aliqua ex parte est exemplar simile.

Denique in observantia Satuti allegata, Reis cõventis, nullum præbuit defensionis auxilium, nec Iudicem lege clementiorem efficit; tum quia non vt decebat probata, nec Claustro laudante detecta, aut aliquo conquerente, contradictorio examini delata. Nec florens hæc Academia, quæ legibus paret, exemplis iudicat, opportuit sanè cohercere consuetudinis infantiam, nè augmentis consenesceret; fors, & quæ nunc Virgulta, neclecta, crevissent in Robora. Dignum ergo, vt Schola aliarũ emulatrix, excellentia non dispar, observantia Legum, & morum affinitate esset compar, decerneretque futuris scæleribus exemplar, quæ præsenti ambiendi Cathedras, normam statuerat, & aliàs Attent. Conttent. &c.